MASTER NEGATIVE

NO. 91-80073-8

AUTHOR: SVEDBORG, JOANNES

TITLE: DE CLAUDII CLAUDIANI QUOD...

PLACE: UPSALIAE

DATE: [1860]


Master Negative #

91-80073-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



87C56
DS

Svedborg, Joannes.
De Claudii Claudiani quod de raptu Proserpinae inscribitur carmine epico quaestiones ... Upsaliae, typis descripsit Edquist, [1860.]
25 p. 24 cm.

Dissertatio academica.

43819

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/6/91 INITIALS N.T.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

CLAUDII CLAUDIANI

QUOD DE RAPTU PROSERPINÆ INSCRIBITUR

CARMINE EPICO QUÆSTIONES.

DISSERTATIO ACADEMICA

QUAM VENIA AMPLISS. FAC. PHIL. UPSAL.

P. P.

IOANNES SVEDBORG

PHIL. MAG. VESROG.

IN AUDITORIO GUSTAV. MIN. KAL. DECEMBR. MDCCCLX.

H. A. M. S.

UPSALIÆ

TYPIS DESCRIPSIT EDQUIST & C.

Quamquam fuerunt, qui ætatem illam, qua viguerunt literæ Romanorum, ita artis circumscriberent finibus, ut unius fere sæculi spatio terminari eam dicerent, tamen, si quis omnia considerarit harum literarum monumenta unumque sub aspectum subjecerit, inveniet profecto multa et ante Sullæ tempus et post Augustum, quæ non solum sint per se optima, verum etiam ad classicorum illorum, qui vocantur, scriptorum excellentiam quam proxime accedant. Neque tamen hoc ita dictum volumus, tamquam si incorruptam illam sermonis integritatem et elegantiam spernendam putemus esse aut non magni æstimandam; quid enim potest esse vel ad scribendi artem elegantius vel ad aurium voluptatem suavius, quam Ciceronianum illud orationis genus? Quid autem præstantius possumus cogitare, quam Cæsaris illam elocutionis simplicitatem, artificiosam eandem arteque carentem? Quod si divinam horum virtutem merito admiramur in eaque mirifice delectamur, non tamen ita oportet in tanta præstantia acquiescere, ut plane nihil curemus ea, quæ, ut sint his inferiora, habeant tamen suam dignitatem suamque laudem. Itaque si qui ab argenteæ, quam dicunt, ætatis studiis avocant, eorum sententiæ etsi nihil magnopere est tribuendum, ea tamen, quæ hanc ætatem proxime sunt secuta quorumque plurima fere in barbariem versa non est infitiandum, ea, inquam, perlustrare animo in iisque diligentiorem operam collocare erunt fortasse, qui non multum ad

literarum Latinarum cognitionem valere judicent. Quorum dubitationi haud scio an satis sit respondisse, nihil omnino tam exiguum esse aut tam leve habendum, quod, si modo non nimia tractetur inscitia, non conferat aliquid ad ea excolenda, quæ sunt cognitione digna. Sed quorsum hæc? Quasi vero justa excusatio circumspicienda nobis sit, cur ad Claudianum potissimum nos contulerimus: qui quum iis fuerit temporibus [1]), quibus depravatam Romanæ reipublicæ disciplinam depravata linguæ literarumque condicio pæne superaret, ita puro et candido excellat sermone, ut pristinam ejus virtutem et integritatem prope consequatur: qui quamvis multa ex rhetorum scholis petierit nec Alexandrinorum spreverit delicias, ita tamen artis præceptorumque adhibeat præsidia, ut et rerum dispositione utatur non indocta et imprimis grata versuum suavitate delectet: qui denique incorrupto admodum, ut in tanta morum corruptela, atque honesto præstet scribendi genere, nec umquam, multitudinis captandæ causa, ad voluptatum lenocinia descendat. Hunc igitur magna doctissimorum virorum laude semper floruisse, non est quod mireris: [2]) huic adeo fuit

[1]) Claudius Claudianus Alexandriæ natus est: quo anno quibusve parentibus non liquet. Qui postquam varia, ut tum erant tempora, et multiplici eruditione est institutus, anno fere 395 p. Chr. n. videtur Romam se contulisse. Ubi quum aulicorum et purpuratorum hominum gratia florere coepit, tum præcipue nactus est Stilichonem, qui, si non doctas aures, at res ad scribendum maximas adhibere posset. Hunc igitur summis effert laudibus, hunc non veneratione solum, verum etiam humili prosequitur adulatione. Inimicos autem ejus gravissimis vexat contumeliis. Nec vero indulgebat ingrato; quippe qui Stilichoni et Serenæ fortunam suam acceptam referret. Idem publico honore non carebat: nam petente senatu statuam ei in foro Trajani posuerunt Arcadius et Honorius Imperatores. Sacris Christianorum utrum fuerit deditus nec ne, ex scriptis parum constat: Orosius eum pervicacissimum paganum appellat, Augustinus autem a Christi nomine alienum. Hoc utcumque judicabitur, aliquid saltem novæ doctrinæ in animum ejus influxisse alio loco docebimus. Interfecto Stilichone quæ fuerit vita Claudiani ignoratur, nec quidquam de tanti viri exitu memoriæ est proditum.

[2]) In the decline of arts and of empire, a native of Egypt, who had received the education of a Greek, assumed, in a mature age, the familiar use and absolute command of the Latin language; soared above the heads of his feeble contemporaries, and placed himself, after an interval of three hundred years, among the poets of ancient Rome. Gibbon, Hist. of the decl. and fall of Rom emp. T. V, C. 30. Ac præter ea, quæ multa collegit Koenigius, cfr Bähr, Bernhardy., alios.

deditus *Io. Math. Gesnerus*, ut ex multis eum potissimum deligeret, in quem magnam illam ingenii eruditionisque copiam conferret; quo factum est, ut ex veterum scriptoribus primus apud Germanos elegantiore doctrina ederetur Claudianus [1]). Neque tamen nos ii sumus, qui nihil omnino in eo reprehendendum existimemus esse: quis est enim qui eum nonnumquam a natura et simplicitate recessisse infitietur? Quis autem ab assentandi crimine eum liberarit? Sed et quibus vitiis laboret quibusque emineat virtutibus, inquirendi copia nobis erit in iis, quæ jam de scriptis ejus disputare instituemus. In qua disputatione ita fere versabimur, ut primum de singulis carminum generibus quæramus, deinde de sermonis natura: postremo de universa ingenii ejus atque artis ratione nonnulla videamus. Et hoc quidem tempore de epico genere agemus ita, ut a carmine illo, quod "De raptu Proserpinæ" inscribitur, quoque nihil scripsisse eum præclarius existimant multi, proficiscatur tota disputatio nostra eoque revertatur.

Constat ex iis, quæ de raptu Proserpinæ sunt tradita, et antiquissimam esse hanc fabulam et ante Claudianum carminibus celebratam sæpius. Itaque jam heroicis ætatibus tractata dicitur fuisse [2]). Apud Homerum quidem nulla ejus apparent vestigia. Hesiodo non erat ignota [3]). In hymno autem illo in Cererem, Homeri nomine exornato, de rapta Proserpina agitur satis accurate. Breviter hoc attingit Callimachus [4]). Apud Romanos [5]) duo præcipue inde sumpserunt in quo elaborarent: Ovidius et Claudianus. Et ille quidem [6]) rem ita exponit, ut, quum e regno suo Pluto escendisset in lucem, a Veneris dolis orirentur omnia: in erroribus autem Cereris

[1]) Cfr Bernhardy, Grundr. d. Röm. Litt. p. 133.
[2]) Pamphum, Atheniensem, hæc cecinisse, auctor est Pausanias.
[3]) Theog. 913, 914: (ed. Goettling.)
[4]) Hymn. in Cerer. v. 5—17.
[5]) Sero admodum hæc fabula ad Romanos translata videtur esse. Cfr Lübker. Reallex. p. 382
[6]) Metamorph. Lib. V v. 341—571: Fast. Lib. IV, v. 417—620.

describendis singula refert perdiligenter. Quæ omnia qua arte persequatur, manifestum est omnibus; sed quamquam in iis æquabile illud et continuum heroici carminis flumen cernere licet, tamen id Ovidium non spectasse, ut epicum componeret poema, facile est ad judicandum. Quod contra est in carmine Claudiani.

Ac primum quidem, si hujus carminis naturam accurate constituere ac recte declarare velimus, ab initio statim inquirendum videtur, quo in genere sit illud a poeta ipso positum: quod quum ex argumento, quod sibi sumpsit tractandum, tum ex ipsa tractandi illius exornandique ratione cognoscitur optime. Nec vero illud omittendum, quod hoc potissimum carmine niti gloriam suam voluisse videtur Claudianus: id quod elucet quodammodo ex iis, quæ scribit in illo, quod libro primo præposuit, procemio [1]). Et tamen totum poema quale esse vellet, ipso exordio indicavit. Quum igitur epicum poema facere voluisse sit existimandus ipse, nec sit, quod equidem sciam, quo melius aut rectius referatur, proximum est, ut videamus, si quæ sint hujus generis leges et præcepta, quibus perscrutari totum opus atque æstimare possimus. In quo quum Walchii temporibus, ut ait ipse, illi, qui de his rebus existimare se posse judicarent, adeo in diversas ferrentur sententias, ut nihil certi aut absoluti statuerent: sibi igitur, nisi futura esset tota disputatio fluctuans et incerta, aliam viam esse ingrediendam: nos eo meliore sumus in causa, quo majora ceperunt, tanto interjecto tempore, atque incredibiliora omnes artes incrementa. Itaque ea, quæ certis potissimum personis tem-

[1]) De hoc prooemio *Gesnerus:* Ceterum hoc prooemium abruptum, si non truncatum est: destituitur enim apodosi in hanc fere sententiam: sicut nautæ primi, ipso successu audaciores facti, et ultra progressi sunt: ita ego favore et processu minorum opusculorum ad majora audenda invitatus, eo tandem provectus sum, ut canere facinus omnium maximum, raptum Proserpinæ, susceperim". Recte quidem hoc *Gesnerus.* Et tamen, quod fugisse videtur et Gesnerum et reliquos omnes, qui de hac re scripserunt, non plane abhorrere a consuetudine Claudiani hanc rationem, cernitur ex prooemio, quod est in libro de Nuptiis Honorii et Mariæ. Quo in prooemio Koenigius quum nihil offenderit, miror sane negare eum, hoc, de quo nunc agimus, ad librum illum pertinere. Est autem utrumque poema, ut nobis quidem videtur, ad rem propositam aptissimum.

poribusque definiebantur aliquando, jam diu in artis quandam formam redacta ita sunt, ut non in hominum opinione, sed in re ipsa atque natura posita esse videantur. Quid igitur? Quinam sunt illi, qua doctrina aut quanto ingenio præditi, doctissimi viri, qui hanc tantam rerum constantiam atque immutabilitatem effecerint? Scilicet nihil ejusmodi effecerunt. Nam et illud, ut fert fere innata quædam in hominibus vis et facultas, qua excoluntur omnia fiuntque in dies perfectiora: ita ut quæ primum concipiantur animo quasi inchoatæ intelligentiæ, ex rebus ipsis petitæ, eæ cogitando concludendoque fingantur paullatim atque illustrentur, idque ita, ut in novis assumendis non deserantur tamen ex prioribus ea, quæ maxime rem causamque contineant: itaque et illud quum rei natura probabile est, tum haud scio an certis rerum indiciis possit demonstrari, nihil umquam tam stabile esse tamque absolutum, quod non fieri possit aliorum tractatione perfectius; et vero hæc ipsa artis præcepta etiamsi tanti sint roboris tantæque constantiæ, nihil ut contra ea dici possit, non tamen ea, in quibus nituntur illa, nullius umquam aut parvi momenti esse reperientur.

Quoniam igitur, ut supra dictum est, sunt quædam leges, ex ipsius poesis heroicæ natura profectæ illæ quidem, sed tamen ita, ut judicandorum et æstimandorum carminum epicorum causa quasi datæ esse videantur; quærendum est, quomodo fieri possit, ut ad has leges exigatur poema Claudianeum. In qua investigatione instituenda etsi in Homerum tamquam in unicum quoddam exemplar est intuendum, tamen, nisi insigni stultitia et temeritate agat quis, omnia ista, quæcumque in horum similitudinem carminum vel a Romanis vel ab aliis sunt condita, ab hac optima quasi specie pulchritudinis et imagine mirum quantum distare intelligat necesse est. Nec vero illi, quorum fuit in his rebus intelligens incorruptumque judicium, hoc non viderunt. Qui quum Homerum solum dignum esse existimarent, qui poetæ vere epici nomine appellaretur: illum enim, quemadmodum ex oceano amnium fontiumque cursus

initium capiant, ita omnibus poesis heroicæ partibus ortum et exemplum dedisse [1]); tum iidem ceteros quoque in aliquo numero ac loco habendos existimaverunt. Itaque ab illius generis excellentia poetarum Romanorum rationem ita segregarunt, ut, quum esset illud ex ipsa natura tamquam ex uberrimo quodam fonte repetendum, hoc artificio magis esse et diligentiæ tribuendum demonstrarent [2]). Quocirca ex iis, quæ poesis epicæ propria sunt, haud ita multa ne in Virgilium quidem cadere facile intelligitur: qui quidem, ut omnes fere recentiores, eo non minus consilio, ut patriæ ejusmodi carminis decus afferret, quam impetu et ardore ingenii abreptus rem videtur suscepisse. Atque in hoc differunt quam maxime a Græcis Romani, quod primi ab heroicis fabularum temporibus et personis ad historiam veritatemque hoc genus traduxerunt; quippe qui ex rebus vel præsentibus vel proxime præteritis haurirent ea, quæ versibus epicis illustrarent [3]); nec tamen ita, ut non multi Græcorum rationem amplexarentur. Hanc igitur secutus videtur Livius ille Andronicus; in historico potissimum genere Nævius et Ennius versati; ex utroque mixtus Virgilius. Lucanus autem et Silius Italicus quum rerum ab Romanis gestarum memoriam carmine celebrassent, Valerius Flaccus, Statius, Claudianus errori potissimum fabulæ dediti. In quibus Claudianus tamen, postquam in historico genere operam collocavit et ipse, in heroico ita versatus est, ut ceteris omnibus plane esset dissimilis. Nam quum inde ab Homeri temporibus ante eum nemo ad hæc tractanda accessisset nisi ita, ut divinis miscerentur humana; hic, amotis hominibus, deos solos agentes inducit. Quod institutum quid in universam carminis rationem habuerit momenti, mox videbimus, si prius summam totius operis exposuerimus.

[1]) Cfr Quintil. Institut. Orat. Lib. X, c. 1, 46.

[2]) Cfr Vischer Æsth. III, 4, §§ 873—875.

[3]) Cfr Bähr, Gesch. d. Röm. Litt. I. p. 206, sqq.

Post invocationem Musarum Pluto inducitur incensus ira, quod solus ex diis careat uxore: cujus nisi particeps fiat, totam inferorum aciem, conjurantibus furiis, in superos impetum facturam. Jamque omnium rerum sequitur perturbatio et confusio, quum Parcæ, orbi terrarum metuentes, Plutonem adiere supplicando. Quarum ille precibus commotus quum ad fratrem Mercurium conjugis petendæ causa misisset, Jupiter, desiderio ejus satisfacere nihil dubitans, Proserpinam ei in matrimonium dare constituit. Et tamen unum erat, quod summum illum coeli moderatorem incertum ac sollicitum teneret: cum Plutone voluntario connubio jungeretur puella? Nonne obscuris inferorum recessibus solem et lucem anteferret? Itaque quod volentem facturam illam parum credibile esset, id dolis circumventam: quibus quo facilius caperetur, Veneri, cui summa rei gerendæ est delata, iussu patris Minerva et Diana addunt se comites. At mater vigilantissima cura filiam custodiret? Credo, nisi eo ipso tempore, relicta domo, Phrygiam petiisset, Cybelem matrem visura. Quo factum est, ut, quum solam deprehendissent deæ imprudentemque Proserpinam, facile esset nihil suspicantem, comitantibus nymphis, in campum deducere. Ubi quum et matutini temporis suavitate et amoenitate locorum delectarentur, lectisque floribus, ut fert fere mos puellarum, nunc fasciculorum fruerentur oblectamentis, nunc rosa et sertis inter se redimirentur; repentino fragore perculsæ Plutonem, curru vectum quadrigarum, venientem adspiciunt. Diffugiunt nymphæ. Rapta curru Proserpina dearum fidem implorat: jamque retecto Gorgonis ore Minerva intentoque Diana arcu, simul verbis increpantes, in auxilium feruntur, quum Jupiter se ipse arbitrum interposuit confessusque se socerum, deas, quamvis invitas, cedere coegit. Jubet Diana salvere abituram. Quam multa conquerentem cum luctu fletuque blande appellando Pluto conatur delenire. Neque abhorrebat illa ab ejus solatiis. Quum autem eo, quo tendebant, advenissent, magna inferorum catervæ perfunduntur lætitia. Parantur

nuptiæ; justoque junctos matrimonio optimis umbræ eminibus prosequuntur. — Hæc fere duobus primis continentur libris.

Tertio libro Jupiter, convocato deorum omnium concilio, in hanc fere sententiam verba facit: intellexisse se homines, Saturnii quondam temporis mollitia et deliciis corruptos, inertia ac senio laborare: placuisse igitur sollicitæ vitæ stimulis ad agendum impellere sopitos. Quod tamen quum parum profuisset, siquidem pecudum ritu avia perentes glande vescerentur, naturam magnis sibi querelis instare, afflictos ut erigat pristinamque reconciliet terræ ubertatem et lætitiam: cui rei quidnam aptius fieri posse aut accommodatius, quam Cereris operam adhibere ita, ut per totum terrarum orbem raptam quærens filiam semina spargeret eorum, quæ et ornamento terræ et hominibus utilitati esse possent. Quapropter nemini licere raptorem virginis deæ prodere. — Interea Ceres, infaustis somniorum visis excitata, in Siciliam revertitur. Quo advecta quum omnia vasta ac deserta vidisset, solitudine et orbitate oppressa primum tacita moestitia cohibitisque lacrimis dolorem testificatur; et Electram nutricem adgressa de re universa quærit. Quæ postquam singula, quomodo essent facta, enarravit, Ceres nunc magna voce in deos acriter invehitur, nunc muliebri fletu multa queritur demisse et abjecte. Nec tamen agit quidquam. Constituit igitur ubique filiam quærere aditque lucum quendam, memoria sacrum, faces provisura. Quibus paratis, duram fati necessitatem conquesta, longo se committit itineri. Illustrant faces Italiam Libyamque. — Reliqua desiderantur.

His brevi in conspectu positis, perspicuum est, summa rerum simplicitate compositum esse argumentum. In quo dijudicando Walchius quum nimia rei propositæ jejunitate et inopia impeditum judicasset poetam, quo minus plenum quid et absolutum efficeret, Koenigius omnem disputationem ex hac quæstione ortam vanam putavit et inanem: neque enim posse definiri ingenium aliquod felix et a natura benigne instructum quid possit efficere. Recte quidem dici, quo uberior sit res, quam sibi proposuerit quis, eo faciliorem reddi laborem; ingenium tamen esse fontem rerum inexhaustum, unde depromi possint ea, quæ desint argumento. Hæc fere Koenigius. In quibus ad illud minus animum attendisse videtur, quod in eo maxime posita judicanda est ingenii facultas, non ut possit quis ex quibuslibet nugis et quisquiliis elicere aliquid, quod sit poeta dignum, sed ut id ipsum eligat sibi tractandum, ex quo velut sua sponte fluant ea, quæ non minus summa præstent ubertate et copia, quam et excellant rerum proprietate et arti conveniant. Iram igitur Achillis cum raptu Proserpinæ nihil attinet comparare. Neque enim iram unius viri canit Homerus: imo canit maximas duarum gentium pugnas, et ita quidem, ut et antiquissimorum Græcorum mores et instituta depingantur optime et expressa quædam illorum temporum effigies tamquam ante oculos ponatur: et hæc omnia non petita aliunde, sed ex intima ipsarum rerum natura deprompta. Quod si negandum nobis est id frustra disputari, argumentum Claudiani utrum sit carmini epico satis idoneum nec ne, inde tamen ne collegeris Walchii sententiam omnino nobis probari: qui quidem, quamvis materia ipsa eo, quo mens nostra moveri ac delectari possit, valde indigeat, tanto tamen cum artificio in ea versatum existimat poetam, quanto in tanta argumenti siccitate fieri potuerit. Atque id quidem haud scio an pro certo sit habendum, admodum difficile opus suscepisse eum, quod, neglectis hominibus, deorum majestati omnia commiserit. Quæ ratio quum sit — concedendum enim est — cur ita non absurda haberi possit, si poeta, ad ejusmodi fabulas se conferens, non iis in observando verisimili adstrictus legibus, quas imponit rerum humanarum necessitas, ea, quæ mente ac cogitatione fingantur, paullo liberius possit quasi in medio proponere; tamen et hæc ipsa libertas, quippe quæ deorum natura temperetur quodammodo ac reprimatur, suis circumscribitur finibus; quæque ab ista ratione sejungi non possunt difficultates tanti, si quid judicare possum, reperientur esse momenti, ut majore etiam licentia compen-

sari nullo modo posse videantur. Nam quum id potissimum agant ii, qui in pulchritudine effingenda versantur, ut ea, quæ divinæ sint naturæ, quasi coelo devocata subjiciant sensibus; qua tandem via progressi aut quibus usi artis adjumentis, quod velint, consecuturos se esse confidant, nisi ita, ut ea, quæ fingant, quamvis divina, humanæ tamen respondeant naturæ, atque adeo ab ipsis illius quasi venis visceribusque hauriantur? Quod igitur dii nonnumquam agentes inducuntur a poetis, hoc plane esset absurdum, nisi humanæ naturæ cognati quodammodo hominumque congruentes affectibus fingerentur. Quamobrem hæc summa ingenii sollertia miscuit Homerus; eumque tota fere secuta antiquitas. Nec vero recentiores hoc non intellexere. Itaque et illi, quos finxit Miltonius, sive inferorum regi parent, sive coelestium sunt agminis, hominum ritu dolore afficiuntur, exsultant lætitia, incitantur ira, amore commoventur; quorumque frequentia complentur a Dante tria illa immortalium regna, tam se gerunt humaniter, ut prope cum iis — utar enim verbis Macaulaji — ad mensam assidere nobis posse videamur. Atque est in hoc vel maxime posita illa, quam supra diximus, difficultas, ut in diis adumbrandis ne aut præ humanis abscondantur divina et occultentur, aut præ divinis humana, sed ut concilientur inter se hæc duo, quoad ejus fieri possit, et quasi unum in corpus confundantur et coalescant. Dii igitur antiquorum populorum quamquam, quo propius absunt ab humana natura, eo magis idonei sunt et apti putandi, quibus utantur poetæ, tamen eos ita proponere ante oculos, ut non hominum solum, verum etiam deorum præ se ferant speciem, acutissimi sane est judicii et magnam habet artem.

Qua tanta cum difficultate jejunitas ista argumenti et inopia ita est conjuncta, ut si ultra ea, quæ traduntur fabulis, progrediendum non sit, in satis exiguum quasi gyrum compellatur poeta. Etenim quum ex fide fabularum ita comparata esset deorum ratio antiquorum, ut tres illi summi prope pari essent inter se jure, pari

potentia [1]), nisi contra ea, quæ in opinione hominum versabantur, ageret quis, nihil fere videtur potuisse afferre, quod huic æquabilitati parum responderet. Itaque apud Homerum Jovem inter et Neptunum et Plutonem nihil fere turbatur umquam [2]); ne apud Virgilium quidem. Nec ceteri, quod sciam, quidquam attulerunt, quod ab hac deorum concordia abhorreret. Sed fac eam fuisse — nihil enim impedio — horum deorum naturam, ut facile inter se concertantes fingerentur, tamen hoc loco justam desiderari conten-

---

[1]) Quod enim Neptunus (Il. VIII, 210, 211):

Οὐκ ἂν ἔγωγ' ἐθέλοιμι Διὶ Κρονίωνι μάχεσθαι
ἡμέας τοὺς ἄλλους, ἐπειὴ πολὺ φέρτερός ἐστιν.

hoc etsi principatum non dubium Jovi vindicare videtur, veram tamen ille rei naturam haud scio an aperuerit Il. XV, 187—199:

Τρεῖς γάρ τ' ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοὶ, οὓς τέκετο Ῥέα,
Ζεὺς καὶ ἐγὼ, τρίτατος δ' Ἀΐδης ἐνέροισιν ἀνάσσων·
Τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται, ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς·
ἤτοι ἐγὼν ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν αἰεὶ,
παλλομένων, Ἀΐδης δ' ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα·
Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν·
γαῖα δ' ἔτι ξυνὴ πάντων, καὶ μακρὸς Ὄλυμπος·
τῷ ῥα καὶ οὔτι Διὸς βέομαι φρεσίν· ἀλλὰ ἕκηλος,
και κρατερός περ ἐών, μενέτω τριτάτῃ ἐνὶ μοίρῃ·
χερσὶ δέ μήτι με πάγχυ, κακὸν ὥς, δειδισσέσθω· —:

etqs. Pluto autem. Il. IX, 457 *Ζεὺς καταχθόνιος* vocatur. Cfr. etiam Hom. Hymn. in Cerer. 85—87.

Apud Ovidium autem (Metam. V, 527—529) Jupiter ipse:

— — — — "Ut desint cetera, quantum est
Esse Jovis fratrem! Quid? quod nec cetera desunt,
Nec cedit nisi sorte mihi?"

et Fast. IV, 598—600:

"Nec gener est nobis ille pudendus, ait:
Non ego nobilior: posita est mihi regia coelo:
Possidet alter aquas; alter inane chaos."

[2]) At in ea, quæ (Il. XIII—XV) pugnatur ad naves pugna, Neptunum a Græcorum partibus stantem videmus. Et tamen quam invite agat, quam furtive, quam occulte, facile est ad intelligendum. Qui quum semel (Il. VIII, 201—211) Junoni petenti auxilium detrectasset, nunc clam Jove, humana specie indutus, duos Ajaces ceterosque Græcorum principes ad resistendi pertinaciam cohortatur: mox autem, sopito Junonis artibus fratre, rem promptius aggressus fortunam Achivorum restituit. Jam vero Jupiter experrectus quum Irim fratri misisset, quæ eum a pugna depelleret, vix audita re, haud ita multum gravatus imperata facit.

tionis causam nemo non judicaret. Quid? Pluto nonne eodem jure ac Jupiter conjugem sibi postulare poterat? Et vero poeta, si rei amplificandæ causa Jovem eum finxisset, qui non solum fratris non satisfecisset voluntati, verum etiam vehementer restitisset, quos tandem velut in simpulo fluctus excitaret! Accedit quod ita deorum principem injustum sane deum et iniquum fratrem exhiberet. Quæ quum ita sint, quumque in omni arte nihil gravius fieri possit, quam ut simpliciter et non quæsite aut contorte conformentur ea, quibus et contentiones efficiantur rerum ac personarum et reconciliata omnium gratia consequatur, hanc non possumus non jejunitatem argumenti Claudianei habere et exilitatem. Atque id quidem satis est in promptu, Ovidium, qua excellebat virtute vere poetica, hæc multo invenisse melius. Quocirca Claudianus, si Plutonem, amore flagrantem, periculo suo nec impetrata a fratre venia, rapientem fecisset Proserpinam, tum certe difficiliorem totius rei quasi nodum implicaret, ad quem expediendum, si quidem majore opus esset artificio, majorem rerum copiam adhiberet.

Sed fortasse dixerit quispiam: de hac re uberius disputare, etiamsi a proposito alienum non sit, vide tamen ne in mutilo carmine non sit operæ pretium: scilicet iis, quæ desiderentur, omnium exspectationi satisfieri potuisse. — Huic loco occurrendum. Quamquam enim ea, quæ, sive temporis injuria, sive quia inchoatum opus relictum sit a poeta, ad nos non pervenerunt, conjectura persequi non in animo est, illud tamen haud scio an non incredibile videri possit, ita fuisse a Claudiano institutam totius carminis rationem, ut, prima parte absoluta, non minus valerent ea, quibus Ceres totum terrarum orbem perlustraret. Hoc tamen utcumque existimabitur [1]), id pro certo statuendum esse videtur, ita viam

[1]) Quod enim Walchius: "Agriculturæ originem principem Claudiani carminis partem fuisse, e carminis initio, sive, si mavis, invocatione, videmus —:

Quantasque per oras
Sollicito genetrix erraverit anxia cursu,
Unde datæ populo leges et glande relicta
Cesserit inventis Dodonia quercus aristis" —:

munitum sibi poetam fuisse, qua, vocatis in partem actionis hominibus, in latiorem quasi campum evagaretur. Sed ex tali carminis descriptione licet ad jucundam rerum varietatem fructus non minimus capi potuerit, tamen hoc instituto vereor ne commiserit poeta, ut totam operis constructionem labefactaret ac pæne destrueret. Nam quod optime præcipitur ab iis, qui harum rerum peritia excellunt, ut omnium primum simplex sit id atque unum, quod apte sit et ex arte conditum; idque ita intelligi, ut, quamvis consistat ex pluribus, tamen sit unius veluti corporis constitutio ac temperatio: hoc præceptum ita observavit Claudianus, ut prima, eademque primaria, parte absoluta, novam addens carmini partem totum illud duplex efficeret. Et quamvis raptu Proserpinæ aditum januamque patefecisse sit putandus, qua ad cetera perveniret, hæc tamen cum illis, nostra quidem sententia, non tam artis cohærent vinculis, ut uno eodemque artificio conclusa esse existimemus. — Sed hæc hactenus. Nunc singula videamus.

Atque ut ordiamur ab iis ipsis, quæ exordii loco sunt proposita, hoc totum omnes fere graviter reprehenderunt [1]), unus exstitit Koenigius, qui non improbaret. Nos quidem non dubitamus eorum nos applicare sententiæ, qui tantam verborum immoderationem non ferendam putarent. Recedit enim poeta ab epici generis dignitate; et tantum abest, ut afferat aliquid, quod sit institutæ scriptioni accommodatum, ut ad vulgarem declamitandi consuetudinem delapsus justas prorsus transsiliat lineas: quid, quod velut furore instinctus omnia implet voce exagitaturque ita, ut putida admodum sit oratio atque obscura [2]). Nimirum hoc legenti facile occurrit Horatii illud:

hoc quidem non satis valet ad rem demonstrandam. Scilicet de Roma condita agi in Æneide eodem jure testificatur Virgilianum illud:

— — — —, "genus unde Latinum
Albanique patres atque altæ moenia Romæ."

[1]) Cfr Gesnerum, Merianum, Walchium.

[2]) Mens illa "congesta" quid sibi velit, haud facile dixeris. Unum video Merianum, qui inferni raptoris equos, afflataque curru Tænario sidera, caligantesque Junonis thalamos quasi

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu [1]).

Ac de exordio quidem hactenus. Jam Plutonis facile intelligitur primariam esse personam, primariam autem actionem eam, qua rapit ille Proserpinam. Quare si totum opus apte fabricatus sit poeta et descripte, ex hoc velut rerum capite fluant et manent omnia necesse est eoque referantur, ita ut nulla magis persona, quam Plutonis, teneatur mens nostra ac delectetur. Quem si quæras quemadmodum adumbrarit poeta, illud vel maxime displicet, quod certam agendi normam, ipsius naturæ consentaneam, sequitur nullam. Itaque primum in eo offenderunt nonnulli, quod incensus ira, vel potius furens, inducitur. Et illi quidem merito: nec enim causam hujus iræ satis justam facile reperias [2]). Ergo hic nullo contradicente insolentius se jactat; quod autem

---

unum in carmen "congesta" intellexerit: quæ explicatio quamquam perspicuitate commendatur, non potest tamen non haberi languidior. Quod antem J. C. Scaliger "concussa", nonnulli "commota" legendum putarunt, hoc nulla codicum auctoritate firmatur. Atque ut Brodæi rationem, e Platonico συναϑροίζεσϑαι petitam, quippe contortulam nimis, non admittamus, ab hac tamen exorsus Gesnerus haud scio an optimam, ut in tanta rei obscuritate, veri videndi viam monstraverit.

[1]) Jam multo ante Claudianum plerique, neglecta veterum exordiendi simplicitate, hujusmodi lascivia molesti coeperant esse. Cfr Sil. Ital., Val. Flacc., Lucan., Stat. — Atque hos quidem omnes eo præstitit Claudianus, quod, non admixtis per assentationem imperatorum laudibus, nihil proposuit nisi quæ ad ipsum carminis argumentum pertinerent.

[2]) Walchius multis verbis hanc iram conatur defendere: "Plutonem enim non amoris dulcedine captum, sed invidia in fratrem suum excitatum conjugem desiderare, quæ sibi quasi solatium in tenebris esse, moestamque ipsius sortem tolerabilem reddere possit". Quando igitur regi inferorum quibusve minis ducendæ uxoris copiam ademit Jupiter? Hoc declarare miror oblitum esse doctissimum virum. Mihi quidem hunc locum diu multumque perpendenti unum occurrit, quo possit fortasse res, si non defendi, at probabilem habere explicationem. Si enim naturam et mores Plutonis, qualis fingitur fere ab antiquis, diligentius consideramus, et aspectu trucem et sævæ indolis eum reperiemus. Iracundia igitur tantum abest, ut ab hac indole videatur abhorrere, ut ab ea non facile sejungatur. Itaque quum vel levissima causa atque adeo sine causa commotus ira cogitari posset, fieri potest, ut non temere eum ad ipsius naturæ fidem suique similem expresserit Claudianus. Quod autem alterius vel precibus vel dolore commovetur ille, hoc posteriorum temporum mansuetiore disciplina nisus poeta, non antiquorum auctoritate, videtur finxisse.

primum, Parcis se interponentibus [1]), deinde, Minerva et Diana minas intendentibus, modeste se gerit, non possumus non grandiloquum eum et gloriosum, linguaque quam manu fortiorem habere. Nec illud non animadvertendum, quod præter eam, cujus nuper mentionem fecimus, iram, nihil omnino ab ipso proficiscitur, reliqua alieno impulsu suscipiuntur. Quare ab hoc totius rei gerendæ auctore et principe sic oriuntur omnia, ut modo iratus, modo lacrimis, quamvis ferox, cedens muliebribus, duas habeat oratiunculas; primarias autem agendi partes sic sustinet, ut, si quid agat, agat aliorum quasi ductu et auspicio [2]), ultro nihil agat nisi Thrasonem. De hoc igitur quidnam est, quod amplius afferam? Certe talem se gerit, ut eo nihil magnopere delectari possimus.

Quid dicam porro de Proserpina? — nam hæc altera est persona, in qua aliquid momenti ponere voluisse videtur Claudianus. Audiendus igitur ipse: candida est; mulcet cantu; nivei vultus, et tamen ita, ut interdum purpura inficiantur; deabus

"Nec membris nec honore minor, potuitque videri
Pallas, si clypeum, si ferret spicula, Phoebe".

Accedit quod præstat texendi arte acuque pingendi. Sub finem

---

[1]) "Vix illa: pepercit,
Erubuitque preces, animisque relanguit atrox,
Quamvis indocilis flecti".

His adductus Gesnerus poetam crimen sibi illatum sustulisse vel certe minuisse existimat. Quod contra nobis videtur. Nempe a Plutonia majestate et severitate prorsus aliena est ista quasi agilitas animi et mollitia.

[2]) Recte tamen se habet quod monente Jove in Siciliam proficiscitur. Id quod observare vix opus erat, sed notandus erat mirus quidam Koenigii error. Hic, postquam de Proserpina in campum deducta egit, sic pergit: "Mirationem quidem, verum minime epicam, hoc loco facit consilium a Jove initum, quod a Venere perficitur ita, ut Pluto, in cujus gratiam omnia fiebant, ne minima quidem significatione certior fieret, quodque ille iter statim ad illum locum molitur, in quem Proserpinam Venus erat deductura; quem ut scire posset tantum aberat, ut plane etiam ignoraret, quid Jupiter statuisset". Ad hoc igitur respondendum ipsius poetæ verbis (de r. P. I, 276):

"Jamque viam Pluton superas molitur ad auras
Germani monitu".

autem libri II. orationem habet satis speciosam. Huic igitur quidnam tribuamus? At vi rapta ad inferos abducitur ob eamque rem miseram infelicis puellæ sortem lugeamus. Ne hoc quidem nomine multum ei tribuerim. Nam ut non sine aliqua animi ægritudine ac dolore relinquat omnia, quæ caram pristinæ vitæ condicionem exoptatamque reddidissent, nonne hoc idem usu venit in omnibus illis, quæ, ut cum marito vivant, ab iis, ubi natæ educatæque fuerint, locis discedant? Et tamen — nam hæc est non hominum solum natura sed etiam dearum — non diuturno moerore aflictæ suis utuntur consolationibus; quid, quod tanto incendi solent novarum rerum amore, ut pristina illa plane obliviscantur. Et Proserpina quidem quo tandem miraculo ab hac communi feminarum natura recessisse est putanda? Quæ quum antea nihil nisi Cereris filia fuisset, eam jam non solum uxorem Plutonis, verum etiam tertiæ mundi partis reginam eandemque parem ipsi Junoni et æqualem videmus [1]). Ne iis quidem, quibus antea tantum fuerat delectata, floribus ac luce carebit:

„Amissum ne crede diem: sunt altera nobis
Sidera; sunt orbes alii; lumenque videbis
Purius, Elysiumque magis mirabere solem,
Cultoresque pios; illic pretiosior ætas,
Aurea progenies, habitant; semperque tenemus
Quod superi meruere semel: nec mollia desunt
Prata tibi; Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Henna.
Est etiam lucis arbor prædives opacis

[1]) "Non finxit inauditum quidquam", ut recte docet Gesnerus, Horatium auctorem laudans, "de communicato cum Preserpina inferorum imperio". Nam et apud Homerum in parte versatur hujus imperii, et posteriore tempore, quum propter conjunctionem et necessitudinem matris mitior esset facta, eadem utitur consortione:

— — — — —. Ἔνθα δ' ἐοῦσα
Δεσπόσσεις πάντων, ὁπόσα ζώει τε καὶ ἕρπει,
Τιμὰς δὲ σχήσεις θάμ' ἐν ἀθανάτοισι μεγίστας.

Hom. Hymn. in Cer. 365—367.

Fulgentes viridi ramos curvata metallo:
Hæc tibi sacra datur; fortunatumque tenebis
Autumnum, et fulvis semper ditabere pomis."

Hæc nonne appetenda? Quum autem domo discedens matris commovetur memoria, commovetur ita, ut, doloris oblita materni, suæ tantum salutis meminerit. Quid multa? Adeo levis videtur ejus fortuna et mediocri habenda æstimatione, ut non multum eam curemus tantisque clamoribus pæne nihil moveamur.

Jam Veneris satis scienter adhibetur opera ad rem gerendam. Quod autem comitantur eam Minerva et Diana, hujus rei probabilem rationem ipse reddidit Claudianus (III, 208, 209)

— — — „Cytherea venit, suspectaque nobis
Ne foret, hinc Phoeben comites, hinc Pallada junxit."

Præterea rei conscias eas non fuisse quum inde manifestum est, quod sola Venus, quid pararetur, novisse diserte dicitur, [1]) tum maxime patet ex eo, quod raptæ virgini opem ferunt haud sane simulatam. Atque hac ipsa pugnandi alacritate quum sola Plutoni,

[1]) II. 11, 12:

Prima dolo gaudens et tanti callida voti
It Venus et raptus metitur corde futuros.

Ibid. 154, 155:

Causa latet: dubios agnovit sola tumultus
Diva Paphi.

Hoc loco non prætereunda silentio est sententia J. C. Scaligeri (Poet. VI, 5): qui quum additas omnino Minervam et Dianam ejusmodi participes negotii propter virginitatem vehementer improbasset, rem miratum, nec tamen temere factum a doctissimo viro reputantem, invenisse se ait apud Diodorum Sic. fabulam quandam, qua Diana, Minerva et Proserpina sociæ in Sicilia flores legissent atque ex iis vestem Jovi confecissent. His poetam Venerem adjunxisse ob futuras nuptias. Atque id quidem multis aliis firmatur veterum locis, fuis se harum dearum cum Proserpina consociationem communitatemque: (Cfr Val. Flacc. Argon. V, 344 sqq.; Stat. Achill. II, 150—152; Hom. Hymn. in Cer. 425, 426): quid, quod dicitur illa apud unum (Orph. Argon. 1197 sqq., ed. Herm.) Minervæ et Dianæ fraude decepta in manus Plutonis incurrisse. Unde apparet, non solum nihil a fabulis alienum proposuisse Claudianum, sed etiam ex iis facile in promptu habuisse, ut, quum præsertim ex arte fieret, has deas Proserpinæ adderet comites. Scaligero autem, sagacissimo viro, nescio quo modo accidit, ut in re aperta tamquam in scirpo nodum quæreret.

victoris instar irruenti, resistatur, prudenter poeta artique et elegantiæ convenienter fecisse existimandus est, qui hæc ita invenerit, ut in contentionem venirent. Id dolendum, quod oblatam hanc rei amplificandæ copiam, interposita Jovis auctoritate, plane amisit.

Quod si in his adumbrandis satis se indoneum præbuit Claudianus, in Jovis persona versatur, ut nobis quidem videtur, ineptissime. Nam ut illud non reprehendamus, quod fratri, poscenti arrogantius, quippe non iniqua petenti, morem gerere non dubitat, quidnam levius fieri posse existimes, quam ea, quæ proxime ab eo aguntur? Cui quum primum incerto certa tandem stetisset sententia, tantum abfuit ut, quod par erat deum, nupturæ virginis patrem eundemque rerum omnium gubernatorem, palam ageret et aperte, ut contra „summa speculatus ab arce“ tempus rei gerendæ opportunum aucuparetur. Nec male cessit ei astutia, Cerere Phrygiam petente. Quum autem peracto raptu deos convocasset, pudore, ut videtur, commotus eorum, quæ facta erant, ita ad simulandi impudentiam descendit, ut raptam esse Proserpinam pro salute generis humani omnes suspicarentur. Atque id quidem non est negandum, potuisse fieri, ut hanc salutem in initio respiceret. Hoc tamen quum fuisset poetæ indicandum, e contrario fati necessitate coactum se Jupiter, ut filiam nuptum collocaret, diserte dicit ipse:

„Candida Tartareo nuptum Proserpina regi
Jamdudum decreta dari: sic Atropos urget
Sic cecinit longæva Themis.“

Ceterum utrum vere Plutonis minis an huic necessitati cesserit, relinquam in medio. 1) Ne ita quidem res defendenda, ut quod coa-

1) Cfr Koenig. prolegg. p. 57: "Jupiter ille pater deum Plutonis minis anxius et confusus displicet, multo magis timoris turpitudinem falsa oraculorum necessitate celans, — —." Itaque mendaciæ crimine Jovem accusat ille. Ac certe de Themide nihil est quod admodum fidem ei habeamus; quod autem urgeat Atropos, id quidem satis probabile, quamquam ne de hac quidem constat aliud quidquam, quam quod eam una cum sororibus Plutonem precibus mitigantem induxit Claudianus. — Quod video in disceptationem vocari a nonnullis, quanam fabularum auctoritate nisus Parcarum imperio subjectum Jovem finxerit poeta, id quidem nullam habet difficultatem. Cfr Lübk. Reallex. p. 611.

ctus antea permiserit, id jam in melius verti jubeat: sic enim nimiæ rerum imprudentiæ obnoxius insipientis cujusdam more omnia gubernaret. Et tamen etiam hoc poetæ monendum. 1) Hic igitur quum male se gesserit, speciem boni viri præ se ferens inducitur. Accedit, ut tantam inanium verborum jactantiam rideamus. Quod autem, finita oratione, Homerici Jovis secutus exemplum, „horrendo concussit sidera motu,“ hoc certe grande per se et sublime; sed hoc loco nisi mira quadam rerum inter se pugnantium conjunctione neminem movet. 2)

Venio nunc ad eam, quam unam sic tractavit Claudianus, ut vel inde veri poetæ mereretur laudem, personam dico Cereris deæ. Fuerunt sane, qui miram istam reprehenderent temeritatem, qua, quum præsertim imminentem filiæ casum timeret ac pæne provideret, incertæ nutricis tutelæ commendata puella, in peregrinas terras proficisceretur. 3) Et illi quidem præclare. Sed si hoc unum excipias, quid est quod in illa non placeat? Quid præstantius amore illo materno, quid excelsius, quid pulchrius? Quem poeta quam vividis expressit coloribus, et tamen non profusis! Itaque primum velut proludendi causa tristes somniorum species obversantur dormienti. 4) Præsagiente jam animo mala perturbatum mentis statum aperit Cybelæ, mater matri: quem statum quomodo poterat melius significantiusque depingi quam his:

— —: „quoties flaventia serta comarum
Sponte cadunt! quoties exsudat ab ubere sanguis!

1) Fortasse ita, ut eum aliquando solum secum colloquentem faceret.

2) Audiamus in hac re, propter judicii discrepantiam, Walchium: "Jupiter deinde quamvis coactus fratri cedere ejusque voluntati satisfacere, gravitatis tamen et dignitatis suæ, quam obtinere erga omnes reliquos deos solet, adeo memor esse videtur, ut numquam majestati et sanctitati suæ contrarium aliquid agere aut loqui eum videamus." — Gesnerus quidem recte dicit, Jovis orationem morem effingere regum humanorum, qui actibus suis splendidos quærant obtentus.

3) Cfr Lib. I, 190—198.

4) Lib. III, 47—110.

Larga vel invito prorumpunt flumina vultu
Injussæque manus mirantia pectora tundunt.“

Tum decedentis e Phrygia sollicitudo ac festinatio eadem arte paucis versibus tamquam ante oculos ponitur. Quum autem domum venisset, non jam sic se tradit dolori, ut clamitet veluti furibunda atque vociferetur, sed stans defixa torpet ita pavore, ut nec verba nec lacrimas fundat:

„Nec deflet plangitve malum; tamen oscula telæ
Figit et absumit [1]) mutas in fila querelas:
Attritosque manu radios projectaque pensa
Cunctaque virgineo sparsa oblectamina ludo,
Ceu natam, pressat gremio; castumque cubile
Desertosque toros et, sicubi sederit olim,
Perlegit.“

His quum maxime exagitaretur, incidit in Electram nutricem, quæ summis confecta malis jacebat. Walchio longiorem, quam pro tanto dolore, orationem habere videtur illa: et tamen si omnia persequeretur, difficile erat aliquid in brevius contrahere. Ac præter ea, quæ de ipso raptu [2]) commemorat, narrat etiam de Cyane in fontem mutata et de sirenibus: [3]) sed et de Cyane et de sirenibus interrogaverat Ceres, ob eamque rem Electræ respondendum. Tota autem narratio simplex nec flosculis aut pigmentis molesta. Præterea non alienum videtur fuisse, si agentem ea nutricem fecisset poeta, quæ ipsa se egisse narrat Cereri: sic tota hæc persona, non invenusta illa quidem, majore etiam delectatione commendaretur. — Sed revertamur ad deam. Quæ si primum doloris magnitudine obruta prorsus muta remansit, jam recte furentis instar inducitur deosque vehementissime increpans. Sed quemadmodum in aquarum

---

[1]) Scripsi ex conjectura Gesneri "*absumit:*" nam "abrumpit" sententiæ repugnat nimis.
[2]) Quod deas dicit voto peracto rediisse, cfr quæ attulimus supra p. 17.
[3]) Cfr Ovid. Metam. V, 410—337, 551—563. Ceterum convenienter fabulis Claudianum Sirenes Proserpinæ conjunxisse manifestum est. Cfr Preller. l. l. p. 383.

fluctibus fieri videmus, ut exsæviente procella decrescant paulatim atque sedentur, sed tamen ita, ut quasi gementes in litora ferantur; sic Ceres, exhaustis nequidquam viribus, in humiles demissa preces increpando non amplius conatur, quod vult, assequi, sed implorando: in quo tantum veræ humanitatis sensum tantamque vim pietatis ostendit, ut hæc legentes summo amantissimæ matris studio affecti et velut doloris quadam societate conjuncti cum illa nobis esse videamur. Jam vero accensis facibus in viam se datura, quum antea Jovi culpam adscripsisset, nunc bonitate victa muliebris ingenii se ipsa accusat seque solam noxiam prædicat omnium, quæ facta erant. [1]) Ita fit, ut quasi fastigium operi imponat poeta; quumque reliquarum personarum vel facta levia vel dicta frigida minus placeant, Cererem sic adumbravit, ut et legentium animos suavissime afficeret et artis præceptorumque non oblivisceretur.

Ex iis, quæ supra sunt allata, manifestum est, Claudianum, excepta Cerere, in personis tractandis non admodum se artificem præbuisse. Neque id mirum; abhorrebat enim ab istorum temporum ingenio omnis e reconditiore animi humani natura repetita ratio: qua re tamen non impediebatur, quo minus in rebus describendis multa cum arte versarentur Alexandrini illi, quorum alumnum Claudianum facile possis agnoscere. Ac profecto si ea, quæ hujus habet generis, inspexerimus, hac in re unice excellere eum ac prope velut in suo regno esse inveniemus. Itaque primum placet descriptio illa Plutonis eorumque omnium, quæ ad eum pertinent. [2]) Pluto quidem

„Ipse rudi fultus solio nigraque verendus
Majestate sedet: squalent immania foedo
Sceptra situ; sublime caput moestissima nubes
Asperat et diræ riget inclementia formæ“

---

[1]) Lib. III, 419—425.
[2]) Lib. I, 79—88; 276—286; II; 151—203; 277—372.

Hic igitur in terram profecturus et equis utitur et ministris tam horrenda majestate dignis; quumque quadrigis vehitur suis, vehitur ita, ut terram credas maximis motibus conquassari. Etiam coeli siderumque motus, quibus nihil est in natura constantius, turbantur: horret Orion; audito hinnitu pallet ipse ille, qui totum mundum humeris sustinet, Atlas. Nec minus apta sunt ea, quæ post reditum Plutonis de inferorum regno ac de nuptiis traduntur. — Jam Proserpina ita est descripta, [1]) ut quæ agendo non admodum delectet, ea nos teneat forma. Eadem veste excellit egregia summoque artificio confecta: in qua exornanda facile deprehendas Alexandrinum. — In descriptione Siciliæ [2]) vestigia premit poetarum: in qua ejus non potest non inconstantiæ accusari, quod primum terræ motus tribuat Encelado, deinde physici alicujus partes agens quærat, quomodo efficiantur hi motus. Ineptius autem interroganti sibi quid ipse respondeat, haud in magno discrimine ponendum. [3]) — Atque pars ista Siciliæ, in qua fiebant omnia, Henna, ita depingitur, [4]) ut loquens primum inducatur: compellat autem Zephyrum, gratissimum illum veris patrem, ut eam suis ornet donis. Quod ille quum peregisset, ipsam loci formam persequitur poeta ita venuste ac lepide, ut ad Ciceronis, umbilicum illum insulæ describentis, [5]) simplicitatem et gratiam proxime accedat. — Etiam ea, quæ de nemore illo gigantum proposuit, non injucunda. [6]) His igitur omnibus si et ea adjungas, quæ suavissima de campis Elysiis proferuntur a Plutone, et ea, quæ in dolore Cereris exprimendo versantur, profecto hoc in genere artificem se præstitisse Claudianum vix negaveris.

[1]) Lib. I, 122—140; II, 36—54.

[2]) Lib. I, 140—176.

[3]) Inclinat animus ut totum hunc locum ab interpolatore aliquo profectum existimem. In quo tamen quum nihil de l. l. m. s-torum inconstantia sit allatum taceantque omnes qui in edendo carmine operam collocarunt, nihil ego in tanta re nec affirmare ausim nec negare.

[4]) Lib. II, 71—117.

[5]) Verr. IV, 48.

[6]) Lib. III, 332—356.

Quæ primis duobus libris præposita sunt prooemia nihil habent, quod longam requirat orationem. Ac de priore quidem jam egimus supra. Alterum autem ad librum secundum nihil pertinere in promptu est omnibus [1]).

Reliquum est, ut videamus, quo jure aut quibus rationibus epico generi sit adscribendum poema Claudiani. Quæ disputatio quum superiori ita sit conjuncta, ut eo magna ex parte contineatur, brevi admodum nobis concludenda videtur.

P. Papinius Statius quum in eo esset, ut magnanimum caneret Æaciden, quamquam acta viri, ut ait ipse, cantu illo Mæonio valde inclyta reperiret, tamen, quum præsertim plura vacarent, rem arduam capessere nihil gravatus, precatus est a musis, ut se „per totum heroa ire" paterentur. [2]) Atque ille quidem opus inchoatum reliquit, consilio, non re perfecta metiendus. Hic igitur primam violavit artis legem, qua cautum est, ne quis ita in epico carmine condendo operam consumat, ut vitam alicujus conscribere conetur: magnoque erat documento, nec incorrupta duce natura et judicio usos perverso ad hæc jam accessisse, qui tunc erant poetæ. Quod si in hoc genere non licet ita dilatari et quasi effundi, ut historicorum artem consequatur quis, non poetarum, ne illud quidem huic arti conveniens, ut plus quam una sit ea, quæ actio primaria rite appelletur. Quamobrem, ut jam supra demonstravimus, hoc præcipue vitio laborat Claudianus, quod eam potissimum sumpsit fabulam tractandam, quæ quasi duo capita contineret. [3]) Quod igitur dicit se Statius agere, ut majus aliquid quam Homerus efficiat, id haud scio an ita obversatum Claudiano sit, ut, quum Homero duobus opus fuisset carminibus, quibus iram illam fortissimi adolescentis erroresque versutissimi viri comprehenderet, hic uno carmine et iram Plutonis et errores Cereris complecteretur: quod quo sit successu persecutus manifestum est omnibus. Atque ut ea præ-

[1]) Constat Claudianum totum hoc genus invenisse; et possunt multa de eo in utramque partem disputari.

[1]) Cfr Stat. Achill. Lib. I, 1—7.

[2]) Cfr Preller. l. l. p. 469—471.

termittamus, quæ de rerum humanarum statu, epico generi satis idoneo, in arte traduntur, quippe ad universam Romanorum rationem parum accommodata, illud tamen videndum, si tali in argumento versetur ars Claudiani, quod civium suorum ingeniis ita fuerit aptum et quasi cognatum, ut, id quod in epico carmine necessarium est, omnem gentis suæ morem ac prope se ipsos agnoscerent. Equidem vereor, ut hoc affirmari possit. Nam illud etsi et rei natura et recentiorum exemplo probari potest, eam in religionibus vim inesse, ut etiam ex iis sumantur ea, quibus quia nihil populi alicujus moribus magis sit proprium, totum populum teneant atque delectent, quorumque quasi fundamento condatur epicum poema; tamen Romani, quum antea rebus sacris nihil antiquius duxissent, nunc, nisi qui doctrinam Christianorum essent amplexati, ea capti harum rerum negligentia erant, ut nemo esset eorum, qui deos jam diu fugientes magnopere curaret. Quo factum est, ut qui his novam carmine vitam conciliare conaretur, operæ pretium faceret nullum. Qui si ne eo quidem artis præsidio valeret, ut tractandis personis parem sese præstaret, nec posset argumenti exitum satis explicare nisi ita, ut velut ad quendam tragicorum poetarum deum confugere cogeretur, [1]) tum sane non multa relinquebantur, quibus tantam rem legentibus commendaret. Ac profecto, si verum quærimus, eo imprimis nomine epici poetæ laude dignum reperiemus Claudianum, quod præteritorum memoriam celebrando ita omnia proposuit, ut nullo partium studio captus ea, quæ facta erant, æquo animo et tranquillo narraret, [2]) idque ita, ut et in natura describenda et iis rebus, quæ ad usum et consuetudinem pertinent, singula persequeretur. Hoc autem et suæ ætatis et proxime antecedentis præstitit poetas, quod omnia fere penitus ex ipsa re exhausta protulit nec quidquam ex opinione ipsius repetitum aut observandi causa aut docendi narrationi intexuit. Accedit, ut ea sit inventarum rerum

[1]) Nam ea, quæ oratione illa Jovis ceteris diis imperantur, utpote quæ superiore carminis parte non informata aut significata, nemini præparatis auribus proferantur.

[2]) Excipias tamen oportet ea, quæ in exordio modum parum servans scripsit. Cfr p. 13.

dispositio, quæ in hoc genus bene quadret. Nam ut de omni oratione conformanda, quoniam illud pertinet ad universam poetæ artem existimandam, hoc loco non agamus, id quidem perspicuum omnibus esse debet, ita eum in hoc scribendi genere versari, ut, etiamsi non plane in imitatione Virgilii defixus, ad hujus tamen similitudinem proxime accedere videatur. Neque id mirum. Quum enim Virgilius, de Homeri thesauris plurima petens ipse, omni instrumento hanc orationem ita semel instruxisset apud Romanos, ut quasi forma quædam et species scribendi exsisteret, ceteros quidem, qui eum sunt secuti, in illa ratione omnes mansisse, non est quod mireris. In quo quum, ut ferebat istorum ingeniorum ad omnia nimis exornanda proclivitas, magis magisque dicendi illud artificium, ab rhetorum umbraculis profectum, studiose consectarentur, Claudianum quoque communi temporum licentiæ gratificatum facile intelligitur. Sed quæcunque in eo erunt reprehendenda, ut ultimum certe, sic unicum quoddam heroicæ Romanorum poesis monumentum effecisse est putandus, nec indignum, cui et admirationem et studium tribuamus. Et quemadmodum in ignibus interdum fieri solet decrescentibus, ut, antequam plane exstinguantur, majore paulisper et pulchriore flamma exardescant, ita ultimis imperii Romani temporibus hoc carmine pristinam hujus generis gloriam reduxit quodammodo civibus suis Claudianus.


COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010677550